



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

**Cornelii Sieben
Oratio Pro
Justitia in
Carneadem**

Cornelius Sieben

THE
MUSEUM
OF
THE
CITY OF
NEW YORK



ALBERT VAN DER BEEK, CIVIL ENGINEER,
AND ARCHITECT,
173 N. 4TH ST. N. Y. C.

VIRIS ILLUSTRIBUS
ET
MAGNIFICENTISSIMIS
URBIS AMSTELAEDAMENSIS
CONSULIBUS,
ET
CURATORIBUS
ATHENAEI EJUSDEM CIVITATIS,
LIBERALIUM ARTIUM
PATRONIS,
HANC
ORATIONEM
L. M. Q. D. D.
CORNELIUS SIEBEN.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

R. A. SERBER

CORNELII SIEBEN
ORATIO

PRO

JUSTITIA IN CARNEADEM.

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI CIVITATIS
AMSTELAEDAMENSIS CONSULES ET
ATHENAEI CURATORES &c.

GRAVISSIMI JUDICES ET SENATORES,
QUIQUE ILLIS ESTIS AB ACTIS ET
SECRETIS VIRI NOBILISSIMI.

VARIARUM SCIENTIARUM PROFESSO-
RES CELEBERRIMI COLLEGAE CON-
JUNCTISSIMI.

VERBI DIVINI INTERPRETES FACUN-
DISSIMI ET FIDISSIMI.

OMNIUM SCIENTIARUM DOCTORES IN-
GENII ET ERUDITIONIS LAUDE FLO-
RENTISSIMI.

A

CIVES

CIVES ET HOSPITES QUOTQUOT ADE-
STIS OMNIUM ORDINUM ET GRA-
DUUM SPECTATISSIMI.

TU DENIQUE JUVENTUTIS AMSTELAE-
DAMENSIS NOBILISSIMA CONCIO,
SPES PATRIAE PARENTUM GAUDIUM
NOSTER AMOR.



I nihil inhumanum magis ac detestabi-
le vel cogitari queat, A. O. O. H.
quam in pestem perniciemque humani
generis nefando quodam pervertere co-
natu, eximias illas corporis animique dotes, qui-
bus natura nos homines, tam benigna, tam provi-
da utilitatum opportunitatumque omnium con-
sultrix, ad mutuam promovendam salutem excel-
lentissimum in modum beavit: non sine causa me-
cum demiramini & obstupescitis effrenatum istum
& indomitum quorundam furorem, quo agitati
omnibus viribus id agunt, ut quae sunt unica &
firmissima felicitatis nostrae fundamenta labefa-
ctent & subvertant. Ita nihil est, o temporum in-
felicitatem! cujus abusus non admetur pessimus.
Ita ruunt in omne nefas mortalium genus, ut qua
parte nos brutis excellentiores longe, imo ad ipsam
supe-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 3

superorum conditionem quam proxime accedentes gloriari jure merito solemus, eadem proh dolor! non similes belluis sed immaniores multo, in mutuum grassabundi exitium, saepissime spectemur. Quae addisci scientiae deberent, ut pietati, justitiae, caeterisque virtutibus suis constaret honos, tam flagitiose ac turpiter per hominum malitiam optato destituuntur sine, ut contraria longe eveniant omnia; qui emolliri debebant disciplinarum assiduo cultu efferati mortalium mores, indurentur magis, adeoque rebus ipsis & factis confirmari videatur, quod in ore vulgi circumfertur ad infamanda literarum studia, pestilentissimum verbum, quo quis sit doctior, eo perniciosiorem saepius existere Reipublicae civem.

Non erit ut exemplis, quod dico, ex omni doctrinarum genere petitis hac hora confirmem; quotidiana sunt & obvia satis, nec ullus vestrum ignorabit, nunquam defuisse principes etiam in Literis Viros, qui acerrimi verae religionis & societatis humanae extiterunt hostes. Ne tamen impii forte ac temerarii calumniatoris nota, apud quosdam ferum minus peritos compungar, solam, si placet, mecum intueamini Eloquentiam; facile me ita ab omni maledicendi suspicione liberatum videbo, nec a proposito quoque longius recedam.

Reginam esse rerum omnium Eloquentiam, neque ullam existere artem, quae non debeat ei splendorem suum omnemque venerationem, omnium temporum sapientes uno ore testantur. Licet enim sordido forte & inquinato dicendi genere, veritas quarundam rerum satis aperte significari & addisci possit; quem tamen reputabimus in plurium animis majorem sui admirationem, & illius, quam tractat, doctrinae amorem concitaturum; num illum, qui vera quidem dicit, agresti tamen & inconcinna locutione talia evomit verborum portenta, ut, qui audiunt, asinum rudere non hominem loqui existiment; num illum vero, qui maxima oris & vocis suavitate, praecepta disciplinae suae verborum illuminat splendore, dapesque suas lautissimas non in coeno conspurcatis vasis, quae cuivis etiam fastidium parere possint, sed munda quadam & elegantissima supellectile Auditoribus apponat. Solius certissime vestro omnium iudicio oratoris erit, accendere illos & inflammare studiorum amore, quorum ingenium incultu jamdudum, & socordia torpescere videbatur. Solius oratoris erit sanctissimae religionis praecepta, & honeste vivendi regulas, ita hominum etiam perditissimorum animis imprimere, ut simulac cohortatus fuerit ardentissime ad virtutum

nor-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 5

normam sequendam, simulac a vitiis acerrime revocare instituerit, mens statim melior reddita appareat, reductique videantur in viam, a qua tam longe vel ignorantes aberrarant, vel malevolis quodam deflexerant conatu. Solius erit, ut brevibus me expediam, Oratoris haec Virtus, Civitates condere, conditas confirmare, confirmatas, ut in aeternum permanere queant, stabilire; haec unica erit, quae miserorum dolores levando mitissime consolabitur; quae inopia calumniantium voce perterritos ab omni timore deducet; quae patre & marito orbatis contra rapaces aliorum manus ac detestandas insidias, tutissimum dabit praesidium; quae labantes & deficientes pro patria pugnantium militum ordines confirmabit & restituet; quae mobile denique & indomitum istud vulgus arbitrato suo, quibusdam veluti habenis pulchrae orationis, tam facile moderabitur & reget, ut non invitum etiam traenos pati censes. Haec sunt A. A: praeter alia innumera praeclarae hujus scientiae, quae in studio exornandae orationis versatur, praestantissima dona. Hi sunt dulcissimi fructus, quos Divina Providentia voluit e dicendi facultate in totum mortalium genus tam abunde derivari. Absque hac esset certissime, ut brevi societates humanae dissolverentur rursus, extra quas

tamen nec hominem vivere, nec ingenii dotes explicare posse, ullo modo credendum; adeo ut nihil a Diis immortalibus ad communem hominum salutem confirmandam accommodatum magis, nihil desiderandum ardentius potuisset concedi. Quae si vera sunt, quid e contrario scelerius, quid ab hominibus, qui ratione praediti, alienum magis facinus dici debet, quam eadem illa arte tam turpiter abuti, atque ita se in hominum armare exitium, ut quae disciplina fons erat verae felicitatis, nunc scaturigo videatur omnium malorum, dum socia saepius scelerum, adversa innocentiae, hostis veritatis, omnium denique Rerum publicarum furia & perniciosa sit pestis. Plurimos vero extitisse ab omni memoria qui nefandi istius flagitii sese reos fecerunt, neminem vestrum latebit. Pisistratos, Pericles, Graechos, Curiones Catilinas & quot non alios novistis, Auditores, qui Atheniensium & Romanorum Rempublicam turbare, aureamque illam & tot ac tantorum Civium sanguine partam libertatem, fraudulenta sermonis suavitate opprimere fuerunt enisi. Plures quoque ex aliarum gentium annalibus recenseri posse, nec a nostris temporibus aliena esse scelera ejusmodi, facile concedetis; dum Eloquentiae nomen & hodie etiam non artis esse, sed turpissimi vitii vul-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 7

vulgo credatur; eloquentes dicantur, qui poenis eripiant scelestos, & ad quaevis perpetranda rerum novarum cupidos linguae volubilitate cohortentur & cogant; naturamque igitur, in hoc distribuendo mortalibus munere, non benignam matrem sed injustissimam fuisse novercam a pluribus judicetur. Quod licet falsissimum sit, nec praestantiam rerum ex abusu illarum dijudicandam esse, jure merito censeant peritiores; illud tamen sine omni dubio ex antecedentibus quoque concedendum, non defuisse querelis hujusmodi ullo tempore suum colorem. Mutos certe nos potius quam eloquentes nasci e re mortalium fore, ex tot reliquis pestibus Carneades imprimis suo exemplo probasse videtur, dum justitiam, quae omnium virtutum domina & regina censetur merito, aut nullam esse, aut si qua sit, summam esse stultitiam incredibili dicendi facultate o facinus indignum! demonstrare contendit. Sententia sane, quae si hominum animos tenere incipiat, non domus ulla, non civitas ulla, non ipsa rerum universitas salva erit, vel per tantillum temporis punctum poterit conservari. Sententia sane, quae in nullum conveniet omnino, nisi qui Deum esse non credat, ejusque providentia hunc mundum gubernari. Sententia igitur, quae omnem tollit religio-

gionem, omnem delet rationem virtutum, coe-
casque libidines & inconsideratos animi inpetus
normam ponit nostrarum actionum; quam quo-
que a Philosopho nunquam profectam credere li-
ceret, nisi usu toties & experientia verissimum esse
constaret, quod Cicero jam olim praedicasse fer-
tur, nihil posse tam absurde dici, quod non dica-
tur ab aliquo Philosophorum. Egit hanc causam
pestilentissimam illo tempore Carneades, quo cum
duobis Viris eloquentissimis Critolao Peripathetico
& Diogene Stoico Romam missus ab Atheniensi-
bus, ad deprecandam multam quingentorum ta-
lentorum, in quam ob vastatos Oropiorum fines, a
Sicyoniis, quos hac in causa iudices dederat Se-
natus Romanus, condemnatos fuisse Historici te-
stantur. Mandatum hoc viri hi disertissimi curarunt
feliciter, & impetratum fuit facundia illorum a
patribus Conscriptis ut ad centum talentorum sum-
mam redigeretur poena, quam neque ipsam po-
stea persolverunt. In primis autem hoc commo-
do etiam ultra opinionem maximo Athenas, quas
exhauserant ita bella Macedonica, ut extrema
conflictarentur paupertate, Carneadis eloquentia
beavit; quam tantam fuisse praedicant Veteres,
ut torrentis instar omnium animos secum raperet,
non persuadere sed cogere videretur, adeoque
nul-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 9

nullam rem defenderit unquam, quam non probaverit omnino, nullam oppugnare instituerit, quam non evertisse funditus dicatur: quae causa quoque, cur ad audiendum eum non juvenes, sed disertissimi quivis & eruditionis gloria celeberrimi illorum temporum Viri confluisse memorentur. Ad ostentandas autem eo magis, quibus pollebat, Eloquentiae vires, refertur tunc temporis divina quadam celeritate ingenii, dicendique copia, audiente Galba & Catone Censorio, maximis illius aetatis oratoribus pro justitia disputasse; postridie vero, quae pro virtute illa dixerat, ita contraria oratione subvertisse, ut cum pridie terris Astraea reddita videretur, nunc profuga rursus nullum sibi inter mortales inveniret locum. Pervenerat ad id, quod Academiae suae summum erat Carneades, ut pro vero non magis, quam pro falso ingenii & eloquentiae vires omnium cum admiratione posset intendere; atque ita satis bene comprobare videbatur, nihil sciri a nobis mortalibus, quod certo certius aut ad veritatem accederet prope, aut alienum magis ab ipsa foret dicendum. Unde & Catonem Censorium in Senatu censuisse memorat Plinius, dimittendos esse quam primum legatos istos, quoniam Carneade argumentante, quid veri esset haud facile posset discerni. Rationes, quibus usus

B

ad

ad confirmandam hanc de justitia nefandam opinionem Philosophus iste, servavit nobis Patrum eloquentissimus, & felix ille Ciceronis imitator Lactantius. Atque hae sunt, de quarum falsitate singulatim & accuratius hac hora dicere meditabar. Non alienum videbatur argumentum ab illa, quam sustineo, persona; aut tempore, quo hunc in locum ut conscenderem rursus ratio officii postulabat; aut institutis Auditorum meorum, quos alacri vultu & animo, quae intermissa fuerunt per solennes ferias studiorum curricula repentes, non sine summa conspicio jucunditate. In quem enim potius pro justitia dicere conveniet, quam in publicum legum Doctorem, qui se justitiae sacerdotem profitetur; & ea quidem hora, qua disputare incipiet de origine & juribus summarum in Republica potestatum, quibus nec hodie desunt turpissimi quidam adulescentes, qui quicquid illis licere si modo lubuerit, adfirmare non erubescunt: Coram illis juvenibus, qui ad altiora nati & summae Reipublicae suo tempore praeficiendi, jam in teneris his annorum initiis, ante omnia docendi videntur, non esse Principes legibus solutos, non pro lubitu in Civium bona & vitam grassari licere populorum Rectoribus, sed esse jus quoddam a Supremo Numine profectum, quod
cum

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 11

cum subjectis commune habeant Reges, & cujus nexu aequaliter qui gubernant Rempublicam, cum ipsis Civibus obligentur. Impetrabunt Auditores, nisi me omnia fallant, materiae praestantia & dignitas, quam Eloquentia mereri non possum, benevolam vestram attentionem. Dabitis certe indefessis meis in juventute vestrae Civitatis erudenda studiis, quod contra tantum Virum in aciem prodire sustineam, ad quem debellandum majores Eruditionis copiae non sine causa requiri videntur. Partibus, quas defendam, nihil inde periculi; quod facundiae deerit pondus, facile rei veritas superaddet; quare, cum in magnis etiam voluisse aliquando satis fuerit, nec illis unquam, qui spartam suam pro virili tueri conarentur, defuerint vestra benevolentia & favor, cur ipse de illis desperarem omnino, nisi ineptus videri velim, ne vel minimam invenio causam. Securus igitur horum omnium, ut ad rem ipsam accedam propius, & quantum fieri possit, ordine procedat Oratio, ad sequentia quaeso attendite.

Congredior cum Carneade ad propugnandam justitiam, quam profligasse se putat, dum nullam esse clamitavit, aut si qua sit, stultitiam fore summam. Justitiam quum dico, illam intelligi velim animi affectionem, qua quivis mortalium recta ra-

tione duce, totam vitam omnesque actiones ad legum praecepta componere laborabit; e qua descriptione brevissima, illud semper certissime sequetur, aut esse leges nullas, quas observent genus humanum; aut voluntatem illam constantem & perpetuam implendi istas, esse re vera virtutum excellentissimam, & diversam a stultitia longe, quae ex ignorantia illius, quod justum & verum est, originem capit omnemque progressum. Quae causa quoque, cur Philosophus noster, non posterius sed quod prius dixi, sibi pernegandum aestimavit; dari scilicet praeter illa quae Civilia dicimus, & a summarum in Civitate potestatum auctoritate dependent, alia innata jura, quibus mortales regerentur. Falsissimum esse id, ut Auditoribus demonstraret feliciter Carneades, incredibilem astutiam, regulam esse dixit totius vitae privatam cujuscunque utilitatem. Dulce canit fistula Auditores, si volucrem velit decipere auceps, & certissimae sunt insidiae, quas amicitiae praetextu vides obvelari. Si nihil hydropico persuadere facilius, quam largiter bibendo curandum fore, dum quo plus sunt potae, eo magis & ardentius aquae sitiantur. Si nihil studiis dicato Adolescenti & ad omnia juventutis vitia prono, leviori opera, ut credat, proponetur, quam stulte fatigari

tigari hunc aetatis florem libros legendo, quos Graeci Latinique tanto numero & incredibili doctrina conscripserunt; satis existere doctos, satis evadere idoneos, ad summos in utroque jure honores capiendos Istos etiam juvenes, qui paucissimos illos non dicam annos, sed menses facpius, quos hic aut alibi in Academiis transigere solent, maxima cum ignavia, & intolerabili petulantia consumserunt. Si nihil auribus parentum, qui spes suas ambitioni donant, nec ullos patiuntur fieri studiorum gradus, jucundius accidet, quam fraudulentis sermonibus istis, quibus brevissimo tempore sine magnis sumptibus voti se composites futuros, filiosque ad quodlibet in Republica gerendum munus, aptissimos fore sua eruditione promitteretur; quo quaeso argumento Auditores in subvertenda justitia callidius uti potuisset Carneades, ad inescandas mortalium mentes, quas infana quadam lucri cupiditate & scelerato isto habendi amore obsessas sciebat, quam prae se ferendo nihil esse honestum, nihil esse justum, nisi id quod suis quisque tantummodo rebus, neglectis aliorum commodis omnino & sanctissimis vivendi praeceptis, convenire censerent. Si tarde, quae credita rem familiarem laedunt, & sufflaminare affectuum in petus videntur, omnes credimus;

Si qui iusti etiam videri volunt, leges semper in quascunque partes flectere nitantur, ne licentia perpetrandi, quodcunque placuerit, ipsis quoque legibus denegata aestimetur; quid quaeso lubentius rationi convenire putabunt mortales, quam veram esse illam sententiam, qua fraena remittuntur cupiditatibus, & quo trahimur quisque, desiderio, pro lubitu satisfacere laudandum praedicatur. Attulit ad demonstrandum id porro Adversarius noster, ut verum fatear, talia argumenta, quae, nisi perpendantur accurate, gravitate sua, si non superare, saltem aequare sententiam nostram censebuntur. Priusquam tamen singula suis ponderibus, quid cuique debeatur, examinem; illa praemittenda arbitror, quae ad iustitiae fundamentum bene ponendum, confirmandumque pertinere iudicavi; facilius ita omnium illorum, quae dicam adversus Carneadem, perspicientur momenta, simulque verissimum esse constabit, difficilius hunc hominem probaturum fore iustitiam aut nullam aut stultitiam esse, quam Anaxagoram Philosophum nives existere atramentum. Non hunc in finem cum quibusdam juris naturalis Doctoribus in subsidium prima naturae vocabo; quae ut in animalibus reliquis, ita in infantibus quoque & hominibus perfectae aetatis conspici putant, & probare manifestissime, natos

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 15

natos nos esse ad societatem & justitiam, easque cum damno etiam suo a quolibet colendas. Negabit enim haec Carneades, quem alio longe natura ducente ferri cum brutis genus humanum, jam statim adfirmantem audivistis. Quare aut omitterendum omnino hoc argumentum erit, aut veritas illius aliunde probanda; sed cur quaeso majori opera probaretur? non dimicet enim inter se leonum feritas; agat pacem tigris rabida cum tigride; saevis inter se urfis semper conveniat; serpentum morsus non petant serpentes, & tuta sit inter feras omnes similitudo. Quid inde? Auditores, num inde ad justitiam natos esse mortales patebit? num ex Brutorum actionibus, quae omni rationis destituuntur usu, Virtutis illius Nobilissimae indoles explicanda? Non conveniunt in bestias leges; homini tantum praescribi jura possunt; nonne igitur num data sint nobis ex sola nostrae naturae, non autem aliorum animalium, contemplatione id erit deducendum. Quod ex praemis- sis illis tuto concludi poterat, id unicum est, ne immanissimas quidem belluas nisi in diversa genera saevire; adeo ut quae Carneades quoque ex armamentario isto conjecit in justitiam tela, leviana nimis & hebetiora vel a tardissimo quovis inveniantur, quam ut Virtutem hanc conficere possent.

sent. Idem de infantum vita dicendum; tu natura propensissimos dicis ad benefaciendum aliis; alter in illis summam malevolentiam & livorem deprehendit a primis etiam nativitatis temporibus; nec est ut pretium operae reputem hanc litem accuratius examinare. Cur enim in hoc speculum intueri jubebor? Num repraesentatam imaginem videbo, quem quaerimus, hominis justus? nihil minus sane; quicquid agunt infantes, agunt perturbato quodam animi motu, cum quo justitiae nihil est commune, quae conveniet in neminem, nisi recta ratione agere valentes; sed nec in horum plerumque consiliis invenire vestigia licebit instinctus alicujus naturalis, quo justitiam amare, & suum cuique tribuere incitentur; dum ea est omnium pro dolor! vivendi ratio, ut bellum inter nos, vel belli praeparatio, vel infida pax semper vigere videatur. Quae insita sunt animis nostris virtutum semina, prava parentum educatione, & pessimis aequalium moribus, ita corrumpuntur quotidie, ut cum annis crescat materies vitiorum; omnium scelerum libidinumque maculis notatissimos se, plures non erubescant sed gloriantur; atque is sit omnium fere labor unicus, hoc summum studium, id tantum efficere etiam cum aliorum interitu, ut deficiat nullo
tem-

tempore luxuriam pabulum, vel caeteris desit occasio flagitiis, quibus quo obruuntur magis, eo se putant beatiore. Num haec docent Auditores, natura ipsa impellente ad aliis consulendum, cum suo etiam incommodo, ferri mortales? num haec ingenitum nobis justitiae amorem indicabunt? Nihil minus certe; aut alia igitur investiganda via, qua repellendi adversarii, aut victas ultro porrigam manus, qui bello omnium in omnes totum terrarum orbem ardere video; non hospitem tutum ab hospite; fratrum rarissimam gratiam; conjugem imminentem conjugis exitio, filium ante diem patrios in annos inquirentem; nullum denique tam detestabile esse scelus, quod non homo in hominem machinari sustineat, nec a criminibus etiam quam maxime nefandis vel atrocissimarum poenarum metu deterreri mortales.

Non quoque cum aliis Philosophiae moralis magistris dari justitiam demonstrabo ex indigentia & infelici hominum statu, si extra societatem vivendum. Habebitur enim ita sui ipsius conservatio unica nostrarum actionum regula, & ad summum patebit inde, quod nec ipse Carneades negabit unquam, esse prudentis aliquando, ut sibi prospiciat, etiam aliis omni opera prodesse. Ut vero innata existere jura probetur, & praecepti

nomine societatis custodia venire queat, rem altius repetendam censeo. Nam sive natura feratur homo ad alios amandos, eorumque commoda promovenda; sive sibi tantum studeat, & sua suosque solum cogitare videatur dicendus; utrumque nihil facit ad demonstrandam aut tollendam justitiae virtutem. Ut illa locum inveniat, leges requirentur, quarum auctor, si vim obligandi habebunt, est extra hominem quaerendus. Sola rei utilitas non cogit, ut sequamur id, quod utile videtur, nec ratio ipsa sibi normam praescribere poterit, a qua pro lubitu non queat recedere. Date hominem enim, qui mori maluerit, quam Medicorum industria sibi quaerere salutem; qua via quaeso obligatum ipsum, ut vitam conservet, docebo; num remedium, quae dari sunt iussa, efficaciam laudando in restituenda valetudine, quam detestari se jam dudum adfirmat, nec ut reddatur aliquando, ullo tempore desideraturum: num vero quod antea forte vivere maluerit objiciam responsuro statim, poenitere se jam propositi illius, & mutasse voluntatem pro jure suo, quum non alterius arbitrio sit ipsi vivendum. Aut igitur superiorem esse quendam probabo, qui quemlibet se ipsum occidere vetet aut oleum & operam omnem certissime perdam in deterrendo ipso, ne quod cepit

pit consilium horrendum exequatur. Atque haec causa est, cur ad penitus conficiendum Carneadem, eosque, qui secuti sunt eum deinde, Philosophos refutandos; in id ante omnia summis viribus incumbendum esse censeam, ut demonstretur, esse homines non intellectu modo sed etiam voluntate praeditos, & dari supremum numen, quod cum toto hoc rerum universo creaverit eosdem, conservet, & regat legibus praescriptis, quibus vitam degant secundum voluntatem illius, & ad constitutum ab eo finem. Haec si probata fuerint luculenter, tum demum proferenda erunt, quae de commodis e societatis custodia hauriendis loquuntur Philosophiae moralis studiosi; atque ita patebit facillime, venena esse pestilentissima, quae remedia dicit salutaria Carneades; nec ulla via citius, quam isto tramite, quem ipse demonstrat, prope- raturus sibi fore mortales mala quaevis ac turpissimam mortem. Quod igitur ad primum attinet, habere scilicet nos homines intelligendi facultatem & potentiam agendi aut omittendi quaedam, si modo lubuerit, certissimum est; & nisi concedatur utrumque, frustra locum inter nos legibus quaeres, quarum haec semper natura, ut cognitae esse debeant, ac de illis jubeantur Officiis, quae in potestate sunt nostra ut vel negligantur vel praestentur.

Quare non defuerunt etiam post Carneadem plures, qui, ut iustitiae perverterent fundamenta, deprehendi in nobis facultatem liberam eligendi, quodcunque placuisset, denegarunt. Unde id ergo sequi videbatur, quae perpetrarentur a mortalibus facta, non magis ipsis tanquam auctoribus imputari posse, quam horologio motus, aut arboribus incrementi sui causas recte adscribi. Absurdissima esse quae dicunt, Auditores, statim confitebimini, simulac attentiore paulo animi contemplatione vosmet ipsos considerare velitis. Nonne enim quilibet nostrum quotidie se talia facere novit, quorum rationem, cur fecerit, si quaerat diligentius, nullam esse videbit praeter solam voluntatem. Moveo jam manum a dextera sinistram versus totiesque id agam, quoties lubuerit. Num libere id facio, id est an etiam non movere potui, num vero necessarium ut facerem id fuisse censebo, etiam tunc quum nondum volebam. Si coactus id fecerim, causam ostendant adversarii, quae mentem inpulit ad motum hunc producendum. Ego certe, quacunque etiam industria pervestigem interiores animi mei recessus, nihil invenio omnino, praeter potentiam illam mentis in casibus ejusmodi pro lubitu agendi. At clamitant adversarii, est tamen hominis indoles ita comparata

rata, ut amet id semper, quod optimum videtur, mali autem alicujus desiderio trahatur nullus: sed quid inde, num igitur mens libere non agit & cum corpore quodam mechanico poterit recte comparari. Nugae! Auditores. Concupiscit animus noster, quod bonum invenit, & propter suum tantummodo de rerum praestantia iudicium, appetit illas aut fugit. Volumus ista quae placent nobis, & solum quia placent, illa desideramus; ita ut desiderii causa non extra nos, sed in nobis ipsis sit semper quaerenda. Caremus, fateor, potestate optandi nobis, quod nociturum fore satis bene intelligimus; quum per rerum naturam fieri non poterit, ut ad mala prudentes feramur unquam; nisi quis id verum esse putaverit, quod ridiculum omnino, inveniri scilicet in rebus ipsis quod naturae earum contrarium dicendum; Id est, colorem album esse nigrum etiam, aut quod dulce omnes dicimus, amarissimi simul videri saporis. Non tollent haec liberam agendi facultatem in nobis, sed plane probabunt; quum sua sponte etiam fluat ex illis, neminem ad eligendum quid, ut ita dicam, cogi ullo tempore, nisi perspecta penitus rei bonitate; quae quamdiu lateat in abdito, poterit ab omnibus experientia teste suspendi iudicium, & refranari libido hanc consequendi. Id satis est

ut liberi dicamur, nec alieni a legibus natura, quae praemiis suis & poenis vitam nostram moderentur. Quales tamen, quae proposita est quaestio, an illis etiam datae sint, qui extra societatem Civilem vivunt, tum demum, ut dixi, patebit; si demonstratum fuerit, creatos esse mortales & regi ab altero, Cujus voluntati sit nobis omnibus parendum.

Licet vero existere Deum, qui fecerit mundum hunc, & sua sapientia gubernet, verissimum sit; eoque natura duce ita vehamur omnes, ut nulla gens extiterit usquam, adeo projecta extra leges moresque, quae non esse vim quandam & naturam divinam arbitraretur. Carneades tamen, ut disciplinae suae tueatur decretum, quo latere veritas ita in abdito statuitur, ut nihil quod certum sit percipi queat, id adfirmabit nunquam, imo hac ipsa oratione pernegasse fatis intelligitis; dum nihil possit absurdus cogitari, quam esse supremum numen, & homines tamen ab ipso creatos nullo legum vinculo obligatos teneri. Posita Divinitate, pietas statim, justitia, caeteraeque virtutes, e quibus vita beata existit, artificio colligatae nexu prodibunt in lucem; sublata autem eadem omnes tollentur. Creatum igitur & administrari universum hoc divina providentia, ne dubitet ulterius

aut

aut negare possit Carneades; non intueri ipsum jubebo in stellarum perennes atque perpetuos cursus, quibus tam admirabili & incredibili feruntur constantia, ut qui non sentiat nullum hic fortunae aut temeritati locum esse, sed fieri omnia & gubernari divino quodam consilio, is certe nihil omnino sensurus videatur. Non ad solis & lunae motus immutabiles; non ad certas eodemque semper ordine redeuntes temporum vicissitudines; non ad innumera alia, quae in coelis ac terris Phaenomena constanti quadam naturae lege apparent & reguntur, ipsum ablegabo; licet ejusmodi sint, ut qui sine consilio & ratione alicujus Numinis fieri credat, is ipse sit omnis consilii & rationis expers jure merito censendus. Ut brevis sim, mittam haec omnia; semet ipsum modo contemplari velit, & admirandam illam corporis sui structuram attentius consideret. Num fabricationem, figuram, situm, motumque membrorum suorum potuisse fortuna effici ipse solus putabit, quae tamen omnibus aliis vim quandam incredibilem artificiosi operis, divinique testantur. Illos consulat, qui totam vitam summo studio in rerum harum per investigatione consumserunt, & omnes obstupescere inveniet infinitam illam sapientiam, quae naturae opifex, vel in minima corporis parte con-

den-

denda usus apparet. Quod si haec sufficiant nondum, mentem respiciat & excellentissimas iudicandi atque intelligendi facultates. Attentius examinet artissimam illam & stupendam omnino animi cum corpore conjunctionem; & statim, si sapere velit, intelliget non sine Divino numine res illas, licet natura sua diversissimas, ea tamen lege, eoque nexu esse sociatas, ut alterum ad alterius voluntatem & motum, sine ulla contentione sese gerat & afficiatur. Talia sunt haec, ut nihil certius vel stupidissimis quibusvis demonstrent, quam non esse hominem opus naturae quoddam tumultuarium & incogitatum. Si casu enim haec aut bruta quadam naturae lege sine ullo consilio producta fuerunt & administrantur; quae ratio quaeso, cur semper eodem proveniant modo, & tali quidem, quem sapientissimus quivis intellectus sui vires longe superare confitetur. Quae tamen temere accidunt, aut non accidere omnino, aut aliter accidere possunt; neque ulla in re minus quam in fortuna Sapientiae locus habetur. Num libros quis, Auditores, quos omnium temporum Eruditi tanto Doctrinae apparatu de rebus eximiis & cognitu utilissimis conscripserunt, num illos inquam aliquis mortalium, aut ipse Carneades ex fortuito literarum concursu vel sui non conscia causa com-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 25

compositos existimabit? Num artificiosissima quaevis, quae manibus hominum doctis, & ad omnia ingeniosis effici solent, ut naturam imitentur, num illa sine mente & consilio confecta a quoquam censentur? Quae causa igitur, cur nosmet ipsos aut fortuito aut coeco quodam naturae impetu productos putemus; qui totidem hujus mundi miracula sumus, in quorum natura & proprietatibus contemplandis ingenii nostri aciem hebescere videmus, & cum quibus, si comparentur, quae humana effecit industria, nullius videntur momenti. Sumus igitur a causa procreati, eaque sapientissima; nec obstat quid amplius, quo minus statuatur supremum numen. Non enim a se ipso repetendam forte suam originem adversarius dicere sustinebit. Quod sui ipsius causa censetur, illud aeternum erit, nec habuit unquam existendi initium; aut illud adfirmare licebit, quod ne quidem dignum refutatione, posse aliquid, quod non fuit, in rerum natura sine creatore produci. Quid videtur igitur! num sempiternus es homo, qui communi nascendi lege ante annos aliquot prodiisti in lucem, & singulis momentis rursus habes metuendam mortem? Num tui ipsius auctor dicendus, qui non pro arbitrio, quae habes membra, dedisti tibi; qui a tua voluntate non pependisse

disse vides , utrum volueris aut qualis generari ; qui denique plurima in te esse nosti , quorum indoles longe tuam fugit cognitionem . Non felicius quis a parentibus suis forsan ortum arcesset . Quem enim artificem credetis operis sui partes ignorare , quarum vel minima requiretur ita ad perfectionem illius , ut totum sine hac consistere non possit . Non assequi potest ullus mortalium corporis & mentis naturam ; latet prudentiam omnium , quo vinculo haec duo tam admirabilem in modum colligentur ; Nesciverunt patres utrum procrearent , aut qualem , integrum an debilitatum , masculum an foeminam : Et tamen soli dicendi sunt nostrae originis causae ? Ita quoque qui agrum colit & ipse fundus , prima illorum , quae nascentur deinde , initia erunt ; quos tamen nemo prudens aliter quam instrumenta considerabit , per quae femina suo tempore secundum leges a Naturae auctore positas , ad maturas pervenient fruges . Sed liberales simus , demus quod tamen nullo modo dari potest , demus quemvis nostrum a suis parentibus tanquam causa prima traxisse originem ; atque hos iterum a suis patribus , quid inde ? tandem tamen , ut recte rem reputantibus facillime liquebit , ad ultimum aliquod deveniendum erit , quod aliarum rerum omnium principium

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 27

pium sit, ipsum autem ab altero nullo productum aut pendens. Atque id illud est, quod Deum voco, aeternum, omnipotentem, caeterasque perfectiones possidentem summas, quae ex natura rei suam sibi debentis originem indissolubili sequuntur nexu. Sunt haec omnia, Auditores, ni fallor, adeo evidētia, ita omnium exposita oculis, ut qui non videat sit talpa coecior habendus. Quare etiam, ne attentione vestra abusurus existimer, in demonstranda hac veritate non ulterius inmorabor. Sapiant sibi & valeant, qui dicta intelligent nondum & rationes has sine pondere censebunt. In desperatis sanandis frustra Medicorum consumetur cura, & quae quaeso argumenta, ut convincantur, proponentur illis, quorum animus ita indomitus jacet excoecatus cupiditatibus, ut nihil omnino videre queant, quod libidinibus eorum adversum; qui perversa quadam gloriae abrepti ambitione tum demum sibi sapientes esse videntur, si quod alii verissimum reputent, non sine quadam eruditionis specie queant erroris insimulare; qui denique turpe existimabunt ingenii viribus pollenti homini, quales tamen omnes videri volumus, sententiam, quae semel insedit menti, aut emendare, aut si res ita velit, penitus evellere. Vobis iudicibus hac in causa sedentibus satis ita scio pro-

batum erit, esse supremum numen, a quo sicut rerum omnium, sic & nostra sunt initia repetenda. Non hominis est, fateor, perfectissimam divinae conditionis habere cognitionem: Perdifficiles, concedo, & perobscurae de ea moveri possunt quaestiones; sed si haec justa ratio, quod Deus existat, denegandi, quid quaeso existere dicendum. Num triangulum aut circulum esse nullum merito putabunt Matheos inperiti, quod totam harum figurarum naturam minime noverunt. Num solem, num lunam, num caeteras stellas, imo num nosmet ipsos cum tot innumeris aliis mortalibus non dari censebimus, quod praeter paucissimas quasdam proprietates essentia rerum ignoretur. Novimus Deum infinitum esse, aeternum, omnipotentem, sapientissimum, & quae plures cogitari possunt perfectiones, inveniri in ipso abunde intelligimus. Sufficiunt haec ad id, ut finis obtineatur, quem ipse sibi in nobis creandis proposuit; & satis bene, quae mortalibus in Creatorem, semet ipsos, aliosque homines incumbunt officia, ex illis deducuntur. Ex Omnipotentia liquido intelligitur, nihil sine voluntate Divini numinis effecturos nos unquam; sed totos, quanti sumus, ab illius nutu pendere. Ex Sapientia ejus infinita ultro sequetur, ad finem nos quendam

dam ab ipso creatos, & simul subsidia defutura nunquam, quibus eundem consequamur. Ex justitia sponte liquebit, qui Voluntati Divinae obtemperant, praemiis ornandos fore, ut illi e contrario, qui sequi recusant, meritis afficientur poenis. Quae si verissima sunt, quod quemvis Vestrum haud aegre daturum confido; quid respondebit Carneades? Num adhucdum mortales sine lege natos adfirmare sustinebit: Num adhucdum justitiam esse nullam aut summam stultitiam calumniari non erubescet. Est homo a Deo creatus, non temere nec sine consilio; ab ipso conservatur; ab ejus arbitrio, qua utitur, fortuna regitur semper; ab ipso, quae habet bona omnia & vitam mutua accepit; qua ipsi placuerit igitur die rursus persolvenda. Aut nihil video, Auditores, aut ex hisce probabitur manifestissime, nihil prius, nihil antiquius esse mortalibus, qui ratione praediti, quam ut pro tantis beneficiis supremo rerum arbitro, quas referre nunquam poterunt, agant habeantque gratias; eumque ardentissimis fatigent precibus, ne benevolentia sua qua immerentes adeo fruuntur insigni, & in futurum quoque velit dedignari. Ita facillime patebit primam esse nostrorum officiorum regulam, Deum venerari, ejusque gloriae quas accepimus fortunas omnes, animo lubentissimo esse

consecrandas. Haec est illa lex prima, quam non opinio genuit, aut probabilitatis quodam colore fucatam ut proponamus necesse est. Innata quaedam eandem inferuit Vis, & solidissimis plures demonstrarunt argumentis; adeoque vel hisce solis refutatum videtis adversarium, si justus est ille dicendus qui voluntati legislatoris pareat. Ut vero ad rationes istius Philosophi refutandas propius accedam; ex illis etiam, quae jam audivistis, id quivis facile derivari perspiciet; quas nobis inposuit in hoc mundi theatro partes supremus omnium Dominus & Rector esse strenue peragendas: Non esse pervertendum rerum ordinem, properando nobis fata, sed exitum, quem natura decrevit, expectandum semper, ne assignatum a Deo munus turpiter defugisse videamur. Non negamus igitur ingenitum mortalibus sui ipsius amorem, sed regendus erit rectae rationis usu; ne indomito quodam abrepti impetu, illud ipsum, quod creatum est ad insignem aeterni numinis gloriam, in nefandam ejusdem contumeliam pervertere tentemus. Conservare nos ipsos oportet, non solum ut nostram procuremus felicitatem, quae tamen nulla est, nisi in supremi Numinis observantia fundetur; sed ut satisfaciamus illius mandatis, cujus benevolentiae & incredibili erga nos amori, quicquid

quid habent mortales, acceptum referendum. Aequissimum est, fateor, suis studere commodis, & quantum fieri possit, eadem promovere; dum modo tamen hac fiat conditione, ut communis quoque aliorum utilitas servetur. Te amabis enim, te, ut vivas, summo studio procurare niteris, non quia id jubet nemo, sed ne stationem in qua positus es, contra Principis tui Voluntatem flagitiose deseruisse videaris. Atque hoc idem argumentum, quo tibi te commendatum probo, hoc idem erit argumentum, quo te natum ad aliis quoque consulendum demonstro. Nonne enim caeteros homines, quos eodem modo genitos, iisdem corporis & animi facultatibus excellentissimis ornatos vides, nonne eosdem quoque ad idem efficiendum obligari reputabis? Quid igitur officio convenire existimem, num adjuvare illos ut pii propositi compotes fiant, decebit; Num vero conatibus eorum honestissimis jubebor obesse. Omnipotenti Deo te natum confiteor, sed idem de aliis quoque mortalibus adfirmandum existimo. Est tibi natura inditum, concedo, ut conserves te quam in optimo tui generis statu; sed idem, ut obtineant, etiam caeteris omnibus curare incumbit: nec tu id sine alterius efficies auxilio, nec alter sine tua opera hunc finem consequetur. Quid
ita-

itaque? Num a summo rerum omnium opifice, quem esse sapientissimum tot ac tanta opera testantur; num ab illo nobis injunctum credam, ut in mutuam ruamus perniciem, & horribilem in modum nos invicem dilaceremus. Illud esset velle simul, ut homines existant, & simul nolle idem, adeoque talia meditari, quae dicuntur quidem, praeter inanem autem verborum sonum efficiunt omnino nihil. Intueberis igitur in te ipsum, sed vivere etiam studebis eodem tecum sanguine prognatis mortalibus aliis; & ut primo omnium parenti debitum praestes obsequium, atque id agere queas, ad quod peragendum talis, qualem esse te vides, in lucem es editus, sancte tibi servanda erit custodia humanae societatis. Quae cum in juris quadam consistat communiione, adeoque sine justitia, quae suum cuique tribuit, omnino nequeat conservari; vel tardissimus quivis statim intelliget, quam inepte voluerit illam Carneades e virtutum numero deleri; quam false adfirmaverit homines semper ad suas tantum utilitates natura ducente ferri, adeoque stultum hunc fore, qui commodis alienis consulendo sibi ipsi noceret. Turpiter hic quod utile & justum res esse diversas constituit adversarius, quae licet verbo discrepent, re tamen unum merito sonare dicuntur. Non id, quod inhonestum est,
ut

ut utile fiat aliquando, effici poterit ullo modo, ipsa scilicet adversante & repugnante natura. Quid enim est utile, nisi illud certe, quod secundum rectae rationis dictata in hominem conveniet; atque idem erit licitum aut honestum dicendum. Student igitur sapientes, student etiam justi, confiteor, suis inservire commodis, sed sine alterius injuriis & caede, cum quibus quicquid acquiratur apud bonos omnes & prudentissimos quoslibet non emolumentum veniet nomine, sed audiet semper quam maxime damnosum. Num erit enim, ut latro ejusmodi effugiat unquam divini numinis vindictam, ad quam licet lente processerit saepius, tarditatem certissime tamen gravitate sua perpetuo compensavit. Nonne scelus ejusmodi semper habet metuendos alios, ne pari referre tentent, omni tempore vivet in armis, ut resistere possit sua repetentibus & illata mala vindicaturis. Quenam igitur ex divitiis ejusmodi ad intimos sensus penetrabit jucunditas, quarum fructus uberrimi sunt & certissimi, angores, sollicitudines, diurni nocturnique metus, vita insidiarum periculorumque plenissima, & subversio denique societatis humanae, quae fundamentum est unicum nostrae felicitatis. Si pedibus manus, manibus oculi nocere velint, & unum

E

quod-

quodque membrum nostrum non se valere posse putabit, nisi proximae quoque partis ad se traduxerit vires & robur, quid toti quaeso corpori eventurum putabitis, nonne debilitabitur statim & interibit. Quid itaque certius etiam, si propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, quid certius inquam, quam interituros nos omnes, & disrumpi societatem, quae sine amore & custodia partium salva esse non potest. Non igitur nocet sibi, qui abstinet alienis & in commune laborat; non igitur prodest sibi, qui ad se trahit commodum alterius, nisi stulte quis id prodesse censere velit, quod speciem quidem utilitatis habet, re vera autem laedit omnes & mala quaevis minatur. Num enim venena, Auditores, quae palato respondent, nec injucunda haurienti, utilia dicenda sunt, licet praesentissimum deinde secum ferant periculum vitae. Num Medici est imperare remedia, quae levant ad tempus morbum, mox autem redditura pestilentialem? Num Regis erit imperii propagare fines, eosque sibi facere subjectos, e quorum victoria exitium sibi totique reipublicae parabit.

At instas Carneade, ita populis omnibus, qui florerent imperio & Romanis quoque ipsis, qui totius Orbis potirentur, si justii velint esse, hoc est,
 si

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 35

si aliena restituant, ad casas esse redeundum, & in necessitate ac miseriis jacendum. Sed quid inde, bone vir, deducendum existimas? Romanos quod ita bene decipere potueris propter inportunum istud habendi studium & coecum sui ipsius amorem, tibi facile largimur; aequis tamen & consideratis iudicibus, quae dicis, nullius videbuntur momenti. Injuste enim debellatos esse plurimos a Romanis genti Romanae objicis, & ne crimen exprobrare videaris, minus dictorum invidiam, addendo, omnes idem factitasse populos, quorum res ad aliquam magnitudinem excrevere. Ergone secundum naturam, quod tu vis, egerunt Romani omne jus violantes regnandi causa? quam minime Carneades. Non quaerimus quid factum Romae sed quid Romae fieri debuerit, nec propter auctoritatem & multitudinem populorum peccantium scelus aliquod in virtutem abibit. Damus tibi, ne de justitia armorum illius gentis hic agam, damus tibi, quae sceleste eripuerunt aliis, restituenda esse omnia, si justitiae monitis satisfacere velint: & quid hinc tibi fore putas praesidii. Ergo, dices, ad casas redibunt Romani, & in miseriis jacebunt summis, qui si injusti videri voluissent, florentissima uterentur fortuna. Adeoque nihil hinc certius esse credis, quam justum & utile res esse diversissimas. Sed erras

Carneades & toto coelo aberras; non e pauperum tabernis exulat animi tranquillitas; nec domus dominum, sed dominus domum honestabit ac reddet felicem. Non in atriorum invidendis postibus, aut magnifico ornatu splendidissimis regum turribus consistet Reipublicae salus. Non illa Civitas fortunata dicenda, cujus Rectores dominandi lubidinem unicam belli causam habent, & quorum cupiditatibus explendis non ipse terrarum orbis sufficere videtur. Talia sunt haec, ut, ubicunque sint, praefagiant potius instantem civitatis cladem, & gravissimam totius populi ruinam minentur. Stabit semper imperium Civium industria, justitia & pietate, iisque subductis fulcris, ruet statim & in aeternum jacebit. Redeant itaque ad casas Romani, vivant in paupertate suis contenti rebus, & id desiderantes tantum, quod satis ad vivendum. Non Iros esse dicam sed Croesos omnes, quum habent omnia, qui nihil concupiscunt. Non infirmos & inbelles censebo, sed potentissimos, quum possunt quosvis vincere, qui suas cupiditates superare didicerunt. Non infelices & miseros vocabo, sed beatissimos, quos metus non terrebunt instantis ad ultionem hostis, non aegritudines & conscientiae vulnera macerabunt & exedent, non pravae libidines ad quodlibet audendum incitabunt, non fu-

futiles denique laetitiae languida liquefacient voluptate. Ita imperium illorum gloria fultum erit & benevolentia plurimorum sociorum. Ita Deos sibi propitios habebunt omni tempore, & fortunabuntur labores eorum, omnesque conatus & consilia ad optimos exitus deducuntur. Ita laetae floreant urbes populis, nec experientur unquam fortunae acerbitates, quae sequi solent magnitudinem Civitatis se ipsam non capientis. Haec fata fuissent Populi Romani, si naturae legibus obtemperasset: Te ducem autem secutus, crevit quidem, sed crevit iratis Diis. In altum sublatus prae aliis, ut plus ponderis ad ruinam haberet, & tanto graviore decideret lapsu. Ita ut vel ejus exemplo quoque verissimum esse constet, saginari saepius injustos quasi victimas ad interitum, & inpios aliquando florere bonis & honoribus, ut doleant gravius ex commutatione rerum, & post ipsum casum discant melius, quam felici statu suis sceleribus exciderunt. Roma manus in totum orbem terrarumque porrexit. Reges plurimos & innumeras nationes subjugavit, ut tandem etiam ipsa bellorum materies deficere videretur. Sed quis quaeso horum omnium fuit eventus? tristissimus certe. Moles ipsa nocuit Romae, quae gefferat arma adversus externos ante, mox in sua viscera con-

vertit. Variis dilaniata bellis civilibus, post dirissimos casus & innumera rerum discrimina, barbaris tandem praeda cessit, totumque ejus Imperium cum ipso Romanorum nomine fere fuit deletum. In nunc & felicem Romam praedica, quod terras omnes devicisset. Ipsa, licet sero, sapuit melius, & quae tu dicis prospera fata acerbissime deflevit. Augustis opibus conquesta se infelicissimam, & nihil ardentius optavit deinde, quam ut ad veteres fines & pauperis Anci moenia liceret remeare. Aequè infeliciter, quae porro adduxisti, procedent tibi. Pergis enim, num quis servum fugitivum vel domum insalubrem proscripturus, ut vendat, profitebitur haec vitia, an celabit emtorem; si profitebitur, bonus erit, quum neminem fallat, sed stultus tamen judicabitur, quia vel parvo vel omnino non vendet: si celaverit, rei suae consulet, adeoque sapiens dicetur, sed idem malus, dum decipiet emtorem. Ergo concludis, justitia est nulla, aut desipientis omnino jus suum cuique tribuere. Sed quid est, si hoc non est, alienatae mentis signa edere, omnesque status humani perturbare rationes. Si fallere alterum cum ejus injuria, est laedere ipsum contra debitam ipsi fidem: si laedendo alios destruatursocietas, quam sancte custodiri voluit Supremum numen, & ad quam

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 39

quam colendam natura nos esse factos jam statim monuimus ; quid apertius quaeso , quam justissimum esse , qui vitia rei vendendae non reticebit , & sapientissimum simul , dum id aget , quod iussit supremus omnium legislator & vere suam promovebit felicitatem . Satis haec ex praecedentibus patebunt cuivis , licet nullus etiam dubitem , non defuturos tamen plurimos , qui sacra quadam auri fame abrepti , sapientes esse semper cum Carneade studebunt , aut cum Diogene Babylonio potius celare hoc in loco non turpe judicabunt , non quia jus naturale sit nullum , sed quod a fallere idem hic quam longissime distet . Non morabor utrosquediutius , & posterioribus Ciceronis praecipue , aliorumque Juris consultorum Romanorum opponam auctoritatem ; quorum iudicio rectissime contra naturam dicuntur agere , qui ex aliorum inscientia praedantur . Si enim insidiae sunt , plagas tendere etiamsi non excites aut agites feras , quae nullo etiam insequente solent incidere ; nonne insidiosae & fallaciter agit , qui aedes male materiatas & ruinosas venditurus proscribit illas , ut in tabulam hanc tanquam in laqueum quendam imprudens incurrat emptor , & ita cum ejus damno , quem irretitum videt , lucretur . Tandem & ultimo quidem loco ut utile & honestum esse diversissimas inter se res
pro-

probet Carneades ; justum fore dicit , qui mori maluerit , quam manus inferendo innocenti se ipsum conservare ; stultissimum tamen eundem esse , qui suae vitae non parcat , dum parcat alienae . Ergo ex ejus sententia utilitas & justitia contrariantur invicem sibi , quique leges observat naturae desipere dicendus . Proponit hic , Auditores , casum Carneades , in quo decidendo non parum est difficultatis . Illud , fateor , est certissimum , si non justum est , quae Carneadis fuit opinio , facto naufragio alterum deturbare , quam solus possidet , tabula ; ut ego nixus eadem periculum maris evadam : si non justum id inquam , nec sapientis erit illo sibi remedio quaerere salutem , quam obtinere frustra sperabis ipso Supremo numine renitente . Fac enim , extiteris salvus , quum hominem nihil tale merentem contra fas & aequum occideris ; num vita , quam tam sceleste servasti tibi , vita dicenda erit ; quae , quamdiu manet , tristissimimis te conscientiae angoribus & gravissimarum poenarum conficiet metu . Quocunque aspexeris , furiarum instar , sic tuae tibi semper occurrent injuriae , nec unquam te respirare sinet perpetrata caedes . Nonne mortem igitur optiissles feliciter , quae definita omnibus , propter incertissimos casus imminet quotidie , & propter vitae

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 41

tae brevitatem prope semper abesse censenda; quae fortunata quam maxime, si pro Deo & Patria, quibus omnia debemus, lubenter obeatur; quae laborum & miseriarum finem dabit, meliorem longe, quam qui ante fuit, allatura statum, quo praemiis frueris honesti hominis, vitamque deges alteram, beatam quam maxime & in aeternum duraturam; adeo ut, si qua videatur etiam facta jactura, satis immortalitate ista pensetur. Quarum rerum veritas, nec hominem morte deleri, sapientibus omnibus, praecipue vero nobis Christianis, & Philosophorum magnorum argumentis certissimis, & Varum plurimorum Divinis responsis, & Christi Servatoris salutari doctrina tam aperte constat, ut frustra probandis hisce diutius inhaererem. Sunt igitur haec adversus Carneadem, Auditores, dicta, qui non justum putavit tollere innocentem, in extremo vitae periculo ut me ipsum conservem. Quam bene autem ab ipso statuatur esse illicitum id, alia plane est quaestio, & ut supra jam dictum, difficilis sane & perobscura. Quocumque autem modo se res illa habeat, id nostra hoc loco refert nihil; & satis abunde, si quid conjecturis assequi possim, jam vestro omnium judicio, probatum erit, quod demonstrandum sumseram adversus Carneadem argumentum,

tum; scelestissime scilicet justitiam aut nullam dici, aut nomine stultitiae dehonestari; Esse virtutum e contrario omnium nobilissimam, qua sublata omnis fructus, omnis dulcedo, omnis amabilitas vitae, vita denique ipsa e vita tolletur; Dum omnis ita semper aberit concordia, omnis benevolentia, omnis animorum, voluntatumque confociatio: sed plena perpetuo omnia rixarum, querellarum, & contentionum ejusmodi, quae vitam amarissimam reddunt & a nemine expetendam.

O felicem igitur Reipublicae statum, cujus Principes quod acceperunt a Supremo numine imperium, ad ejus exemplum quoque non vi atque metu, sed justitia & aequitate sibi gerendum censebunt, Cujus Cives ea, qua decet, pietate & reverentia Deum & Patriae Patres colent, caeterisque omnibus, quae debent officia humanitatis, nullo tempore denegabunt; dum ad justitiam conferent omne studium, eamque toto pectore sequentur. Ita dolis & fallaciis expulsis dictorum conventorumque constantia & veritas primas perpetuo tenebunt: Ita fugata gravissimorum malorum matre discordia, nil nisi pacem & amicitiam omnia spirabunt semper, e quibus solis tranquilla & beata vita existit. Si non verbis sed testimoniis rerum haec confirmata quis velit, vel hanc ipsam Rem-
pu-

PRO JUSTITIA IN CARNEADEM. 43

publicam in exemplum dabo; cujus res licet ab initio parvae satis, concordia tamen ad stuporem usque & invidiam aliarum gentium creverunt; Quae dum pro religione & justitia, excusso Tyranni jugo, arma sumit; talia libertatis suae fundamenta jecit, ut nec a potentissimo quovis, ipso scilicet defendente Supremo numine, potuerint labefactari. Hac solum via Majores Vestri, Aud. O. O. H. constituerunt & confirmarunt Civitatem hanc splendidissimam, quae quod nascentes vos exceperit, natos autem alat & foveat, summam esse felicitatis vestrae, quotquot habet terrarum orbis mortales uno ore fatentur. Hac solum via Hi quoque Illustrissimi Viri gubernant eandem feliciter, & prospiciunt omni cura, ne quid temporibus hisce capiat detrimenti. Hac solum igitur via sequi Hos Patriae Patres Vobis omnibus incumbit, Generosi juvenes, qui primos virentis vestrae aetatis annos Musis Themidique consecratos videtis; ut vestra doctrina, vestra pietate, vestra justitia, caeterisque virtutibus vestris, quas florentes adeo demirantur exteri potentia & opibus, terras hasce, majorem in modum ornetis in dies & augeatis. Hoc agite igitur Adolescentes optimi, & Patriae eritis praesidio, parentibus voluptati, fa-

miliis ornamento, Vobis ipsis denique decori insigni & utilitati. Ego vero si quid mea diligentia conatibus hisce prodesse queam, totum me vobis ex animi sententia offero; omnesque labores & vigiliis summo cum studio semper in haec commoda vestra inpendam. Faxit etiam eundem in finem Deus ter Optimus Maximus ut, quae sequentur, disputationibus publicis summam in Republica majestatem non sine sacro quodam horrore revereri hos juvenes doceam, & quae sint partes supremarum potestatum in regenda Civitate, pie satis, atque ea, qua par est in tantis rebus, modestia illis proponam.

D I X I.